

24.  
436.

**Σὺν Θεῷ**  
**Disputatio Philosophica**

**DE  
NECESSITATE  
ET  
CONTINGENTIA  
Quam**

**Consensu amplissimæ Facultatis Philosophicæ**

*In Florentissima Borussorum Academia*

**PRAESENTE  
EXIMIO atq; CLARISSIMO VIRO  
Do. M. CHRISTIANO DREIERO  
Fautore & Præceptore suo omni obser-  
vantia affectu aeternum prosequendo**

**RESPONDENS  
MARTINVS-ECHARDI  
Rugenvaldiā Pomeranus  
Publico eruditorum examini subjicit**

*Ad diem 24 Septembrishoris matutinis in Auditorio Philosophico-*

**REGIOMONTI.**

**Typis Paschalis Mensenii.**

**ANNO M. DC. XLII.**

Philos.  
B.  
2116.

## VIRIS

*Amplissimis Consultissimis & Spectatissimis*

**Dn. HENRICO GEBELIO** Reipub. Palæopolitanæ Pro-Consuli gravissimo, dignissimo

**Dn. GEORGIO WEGNERO.** Scabino Vr-

bis Cneiphov. Spectatissimo suo hactenus  
Hospiti benefico

ut &

*Politisimis, literatisimis ac præstantissimis*

**Dn. LEONHARDO WEGNERO**

**Du. GREGORIO WERNERO**

**Dn. ANDREEÆ Zegen**

**Dn. LAVRENTIO Bergichn**

**Dn. CHRISTIANO Maraunen**

**Cribus ac Mercatoribus Palæopolitanis & Cneiph:  
primarijs**

*Dnn. Mæcenatibus, Fautoribus & Promotoribus omni officiorum  
genere honorandis Exercitij hujus Academicæ dedica-  
tione & Consecratione memorem suum atq[ue] promptissimum  
animum officiose declarare & ostendere voluit.*

*Martinus Ecbardi*

*Avt: & resp:*

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



Ifficilia quæ pulcherrā: sapienter dixit Plato in Hisp  
 pia cuius eloquij veritatē inter alia res præ primis  
 metaphysicæ non obscurè demonstrant & con-  
 testantur: quippe quæ ob omnimodā materiæ  
 negationem & carentiam non solum omnium difficillimæ;  
 verū etiam pulcherrimæ à sapientibus uno ore omnibus fa-  
 lotantur et pronunciantur nec immcritò; mēti enim humanæ  
 in splendidissimam nobilissimæ illius scientiæ Metaphysices  
 arcem ascendentē ejusdēq; penitentia contéplanti, multa sese  
 offerunt, quorum præstantia & claritas ejus quasi oculos ita  
 persistingit, ut non possit, quin ipsa cum stupore quasi rerum  
 sublimium & planè divinarū contemplatione Pascatur; unde  
 & haut raro fit, ut non nemo res metaphysicas scrutari peue  
 vereatur, & quam vis interdum benè cœperit, pedē tamē mox  
 retrahat adeoq; ab optimo instituto desistat. Ast inmoratus  
 paulis per iis contemplandis animus tantam percipit dulcedi-  
 né, ut uno quasi baustu omnia inbiberet & conciperet, ani-  
 madvertes quanta inde utilitas, quantus fructus demum collig-  
 gatur. Ut vel hinc metaphysica in signa illa, quibus à philoso-  
 pho variis in locis honoratur, nomina suo veluti juresibi ven-  
 dicare videatur; quando videlicet Dei Peculum vocatur lib.  
 1. Metaphys: c. 2. quo ipso significatur ipsam (ut porè quæ sola  
 perfectè libera & sui ipsius gratia est) non humanam, sed divi-  
 nam esse scientiam, indeq; quidem maximè difficilem, sed &  
 simul pulcherrimam & utilissimam; item lib. 5. met. c. 1. lib.  
 1. phys. text. 83, lib. de animalium motu c. 6. πρῶτη φιλοσοφία  
 prima philosophia, quia inter cætera philosophiæ membra  
 primum & supremum gradum obtinet, non solum naturâ,  
 dum occupatur circa res universalissimas & primas causas, ve-  
 rum etiam dignitate, cum (1) de Ente simplicissimo agat; [2]  
 in Ente nobilissimo præcipuum sedem habeat. cum deniq;  
 [3] efficiat, ut homini cum Ente præstantissimo maxima si-  
 mili tudo intercedat? & hinc 1 post: c. 7. κύρια, item θεολογία  
 ταιν: lib: 1. met. c. 2. Λεχηπόλαζη lib. 2. meg. c. 2. lib. 1. Magnor: moral:  
 c. ultime, princeps ac Dómina' alias uerbi scientiarum eò quod

ipsa imperet, reliquias vero scientias obtemperare deceat illi, quippe qua sola duce suum quem respiciunt finem consequi possunt, non immerito salutatur. Haec & similes appellations dignitatem huius scientiae satis commendant, ut & naturam eius explicat. Versatur autem circa ens quatenus est, & quae si per se insunut ut docet Arist. lib. 3 met. c. 1. Insunt autem Entia per se. Idem Diversum, Prior, Posterius, Genus & Species Simile & Dissimile & eiusmodi multo plura lib. 3 met. c. 2, ex quo amplissimo rerum campo hanc unam particulam excerpere & diligentius hac vice evolvere liber, de Necessario quae tractat, & quod ei opponitur. Contingenti. quod exacta horum cognitio non exiguum utilitatem afferat ad primum Ens inveniendum & cognoscendum, immo usum obtineat insignis in omnibus scientiis.

**S. II.** Antequam vero ulterius provehimur, necessarium esse existimo, ut primum mentem Aristotelis in genere de omnibus Entis nominibus, quae vulgo affectiones vocantur, quaeque eidem methodus tractandi ea attideat, notificeamus, & deinde quomodo in specie Necessarium & Contingens in Metaphysica consideretur, breviter ostendamus, quo postea eodem tuncori via progredi & ad praefixum scopum devenire liceat. Quodigitur Aristotelis mentem concernit ea neque Entis, neque Passioni & partium Entis concepium aliquem communem seu generalem admittit, uti est animal, nec tamen ea aequivocis annumerat, ut est lupus, quae vox tam de animali quadrupede, quam de pisce enunciatur; sed omnia tanquam πολλαχως λεγομενα ut vocabula communia ad unum distinguit, & ad unum principale significatum cetera omnia reducit & applicat ut Ens distinguat in quid, quantum, quale, ad aliquid, & reducit omnia ad quid vel substantiam; Causae vocabulum distinguit, & omnes significationes, reducit ad quatuor causas, hos autem ad finem, quae prima omnium est. Pariter Necessarium secundum

causarum genera distinguit, & reducit omnes significationes ad Necessitatem formæ secundum quam aliquid senon potest aliter habere. Agit a. Aristoteles de Necessario lib. 4. met. c. 5. & refert illud inter vocabula, quæ principia Entis significant, quia nexus peculiarem habet cum causis; quod enim Neces- sarium est & non-Necessarium. initium est, unde sunt & non sunt omnia lib. de Interpret. c. 15.

§. III. Quare eodem modo hic considerantur Necessarium & Contingens ut cætera vocabula ambigua quæ distinguenda & ad principalem significationem referenda sūt spectatur præterea huc Necessarium in actu signato seu in universalis dico in universalis nam non modo metaphys: occupatur circa ne cessarium & Contingens, verum etiam cæteræ disciplinæ; ita Physices & Metaphysices objecta sunt necessaria quia sunt uni versalia quæ æterna sunt & immutabilia; similitè contingēs spectatur in practicis & effectivis quarū finis est operari, age re vel efficere; operationes autem omnes occupatæ sunt circa singularia, singularia verò sūt contingētia. At sciendū quod disciplinæ particulares necessariū & contingens considerent non signatè in quantum in sunt Enti ut Ens est, quod solius est Metaphysicæ, sed saltem exerceitè, ut loquuntur, & prout applicata sunt ad certam & determinatam materiam. Neq; Logica directam necessitatis & Contingentiarum Contemplatione inscipere potest: Hæc enim licet per omnes philosophiæ sinus se diffundat, indeq; unum cum metaephysica objectum spectare rectè statuatur, tamen cum tantum rationem res distinctè proponendi, de ijsq; differendi ostendat, non tam de Necessitate & Contingentia, quā de ijsq; accidunt Neces- sari & Contingētia differit scilicet de propositionibus & enū- ciationibus, ut illæ dicuntur necessaria & Contingentes, & faciunt necessariam connexionem in syllogismo: quā ratio ne etiam ipsa Analytica circa propositiones necessarias & de-

idu

A;

mon.

monstrationem; quæ sit ex necessarijs, versatur; considerans necessitatem non in actu signato vel in universalis, sed in hac certa materia propositionum necessariarum. Metaphysica verò simpliciter non habito ad propositionem respectu omnibus universaliter sumptū, quæquæ id immediate cōsequuntur sibi contemplanda sumit.

§. IV. His præmissis ad principalem propositi Thematis tractationem nos accingimus, ubi initio quædam de vocis origine & ambiguitate : volvenda occurunt. Sunt itaq; qui Necessarium dicunt à cessando, quod plane in eo nō sit cessandum, ut v.g. cum hominem quandam indigentia vel calamitate obrutū videmus, dicimus, hominem premi necessitate, simul significantes quod in ipso sublevando non sit cessandum. alij appellationem vocis necesse derivant ex eo, quod sit veluti sine quo res nec esse possit: sic sine cibo & potu vita hominis naturaliter salva esse non potest, atq; ita cibus & potus homini est necessarius, iam quod vocabuli necessitatis significatiōnes astinet, variæ traduntur apud Aristotelem lib. 4 met. c. 5. [1] videlicet necessarium dicitur id, quo homo nullatenus care-re possit ad vitæ fruitionem, ut respiratio; & sic necessarium dicitur ratione materiae [2] Quod requiritur ad bonum conse-quendum & in alium fugiendum seu declinandum, quā ratio-ne leges civitati sunt necessariæ; & hæc est necessitas finis. quæ & ex suppositione seu hypothetica dicitur, cum certæ causæ faciant necessitatem absolutam. [3] Quod voluntati vel naturali rei inclinationi repugnat, quomodo lapis sua licet contrariante natura, sursum tendit, qui in altum projectatur, & necessario domo sua exit possessor, qui à militibus vel alio quodam cā expellitur, quæ est necessitas violentiæ & causæ efficiētis. Et huic opponitur necessitas naturæ, ut docetur lib. 1. rhet. c. 10, ubi dicit Arist. quod quæ non per fortunam agunt, patim vi, partim naturæ agunt, ut ignis v.g. urit, & lib. 2. post cap. 1E.

ubi

ubil duplicem esse necessitatē dicit, unā, quæ sit natura & cō-  
genitæ rei inclinationi consentanea; alteram quæ vim affe-  
rat & naturæ inclinationi repugnet, ut lapidem & sursum  
& deorsum quadam necessitate reque ferri dicimus. (4.)  
Qnod nulla ratione aliter si habere potest; & est necessarium  
ratione formæ; dicitur etiam necessarium immutabile; &  
hoc est præcipuum significatum.

g. V. Alij Necessarij significationes includunt versiculo 'V-  
tile, perpetuum, sustentans & violentum; ubi primò nece-  
ssarium dicitur, quod cum utilitate conjunctum est, sic navis  
est necessaria longum iter instituenti „quia mediante navi cō-  
modius præstitutū itineris terminum consequi datur, quam  
pedibus vel curru, id quod ipsi utile; & hæc significatio re-  
fertur ad secundum necessarij ab Arist: datum modum' Se-  
cundò dicitur necessarium, cuius esse nulli corruptioni ob-  
noxium est, sed perpetuo manet firmum ac stabile, ut sunt [1]  
Dœus, qui simpliciter est in corruptibilis, ita ut ejus esse nulla  
ex parte labefactari possit. [2] Angeli, Anima rationalis, Cœlū  
& universalia, veluti animal, homo, arbor &c: Hæc quidem  
nullum intrinsecum corruptionis, principium agnoscunt  
sed in se & in sua natura sunt immutabilitè & constantè,  
per extrinsecus vero adveniens, ut per potentiam superioris  
causæ mutari possunt [3] Propositiones esentiales, quæ itidem  
sunt immutabiles & necessariæ ob firmissimam terminorum  
connexionem & colligationem, quales propositiones sunt:  
homo est animal rationale ; DEVIS est Ens independens : t-  
ignis est elementum calidissimum &c. atq; huic significatio-  
ni correspondeat quartus necessarij modus apud Arist: Ter-  
tio dicitur necessarium quod ad vitæ sustentationem con-  
ducit, quomodo cibus est necessarius, quia eo penitus substra-  
cto animal vivere non potest ; cū hac significatione primus in

**Arist,**

Arist, necessarij modus coincidit. Quartò deniq; dicitur neceſſariū, quod fit per vim & violentiam, sic fut vi coactus ad patibulumabit; & hæc significatio est tertia apud Aristotelem,

§. VI. Hoc loco autem potissima necessarij significatio maximè attenditur qua dicitur res necessaria ratione formæ, propter quam nullam mutationem admittit describiturq;, ab Arist: lib: met. 3 c. 5 & lib. 1. post. c. 27. hunc in modum, *καὶ τὸν ἐστὸν εὐδεχομένον διλαβεῖχεν* necessarium est, quod non potest se aliter habere, unde etiā necessitas immutabilitatis dicitur, & quidem quæ est *ἀπλῶς* & sine addito talis. Ad hūc igitur modum reliqua necessitatis significata omnia tanquam ad aliquod primum recte referuntur, quævis enim necessitas dependet ab immutabilitate; unde quicquid necessarium dicitur, est & dicitur ita ratione immutabilitatis seu in quantu mutationis lege non est devinctum; cum enim illa mutationis negatio in rebus variis modis apparet, ita ut hoc totalem seu absolutam non habeat mutationem licet partiale habeat; huic simpliciter omnis repugnet mutatio, illi saltē secundū quid & ob certam conditionem annexam, ideo varii dantur necessitatis gradus, quos adhuc breviter nos oportet percurtere, quò quid & quatenus aliquid necessarium dicatur uberiorius innoteſcat.

§. VII. Dicimus autem necessitatē aliam esse in complexam aliam complexam; hæc fundatur & continetur in propositionibus necessarijs in quibus prædicatum immutabiliter cum subiecto cohaeret, sunt autē tales propositiones quæ per se dicuntur, & ab Arist. explicantur lib. 1. post. c. 4. ubi innuit, quod duplicitis sint generis I quæ naturam & essentiam rei explicat, ut homo est rationalis. 2. quæ rem ita consequuntur ut in prædicatorum definitiones ipsa seu subiectum assumatur, ut homo dicit: dicere enim constituit essentiale prædicatum hominis, nec potest separari hic actus ab humana essentia adeo utta-

utalij diversæ speciei communicetur, sed perpetuus ejus audiit comes separabilis quidem est actus discendi secundus (quodquidem non quovis tempore homo discit) minimè vero actus primus, hunc nullo pacto ab humanitate divellere licet, scilicet homine manente tali, nec ipsa divinâ potestia, esset enim contradictione aliquid hominem esse, & tamen non discere posse; id autem, quod involuit contradictionem DEVS non facit, concluditur itaq; id discere essentiam & necessariò de homine dici, sicq; terminos hos firmiter interscindere, quæ cohærentia necessitatem parit propositioni ut necessaria salutetur; sed quando describitur ipsa discendi potentia homo in ejus definitione affumitur.

§. VIII. Necessitas in complexa tribuitur rei simplici notione determinata, adeoque dicitur incomplexa ratione rei subjectæ quæ duplicitate consideratur, (i) sub rationem Ens independentis, quale est solus Deus, qui cum nullam sui causam agnoscat, sed simpliciter omni principio & fine carens a se solo habeat purissimum esse, ita ut ipsum verè cum Schaligero Ens absq; Ente, meram videlicet essentiam dicamus, simpliciter necessarius & immutabilis est; neque enim a ipso datur, potentia passiva, secundum quam mutari posset. sic enim non esset Ens independent, cum ista potentia necessariò inferat dependentiam, cuius etiam est signum infaillibile, sicut fumus est signum ignis: Deum autem dependentem statuere est imam summis miscere & omnem cognitionem rerum pervertere, quodquidem per reductionem ad absolute primum principium tantum res cognoscuntur. Quâ ratione necessariò pervenientium est ad motorem non motum, primam efficientem primâ formam & ultimum finem in naturâ quæ omnia notionem DEI in nobis formant, qui proinde & necessitate Ens est, & prout necessitas bene est & a tali principio cœlum & natura dependet ut egregie hac de re differat Arist; cum primum principium rerum Deum ter opt; max. invenit lib. 12. met. c.

B

7

7. principium igitur absolute primū cum sit, agnoscere ipse principium non potest, omnia cum moveat, ipse moveri non potest, omnia ab ipsorum dependeant, à nullo certè ipse dependet. Contrarium apertissimè pugnat cum primo principio complexo, vigore cuius duo contradictionia simul vera non sunt. Potentia ergo passiva in Deum non cadit & per consequens nihil habet quod ipsi detrimento vel obstatu esse possit, vel naturam ipsius immutare valeat; neq; intra se, quia nihil se ipsum destruit, nec forma simplicissima principium mutationis in se ipsum admittit; neq; extra se, cum à nullo pendeat, adeoq; est maximè necessarium Ens. Ita ut ipsi omnis omnino repugnet mutatio.

§. IX. (2) Subjectum illud quod representat Necessitatem incomplexam venit considerandum substantione Entis dependentis quo intelliguntur creaturæ, inquit quidem angelis & animæ nostræ quibus competit immutabilitas quædam quoad esse, siquidem secundum potentiam ordinariam habent esse prorsus immutabile, sunt natura immortales adeoq; naturâ entia necessaria. Attamen non sunt absolute necessaria entia simpliciter, quia per potentiam Dei absolutam destrui possunt, sicut & ab ipso producta sunt, adeoq; dependent à liberrimo agente. Deinde huc pertinent corpora cœlestia quæ itidem secundum ordinariam Dei potentiam nullam mutationem subeunt in substantia & quantitate; unde & hoc respectu materialm non agnoscunt, & sic omnino sunt entia necessaria. Nihilominus per absolute Dei potentiam mutari & in substantia & quantitate possunt, imò & secundum ordinariam potentiam mutantur inibi, dum moventur: unde hoc respectu materia & potentia & contingencia ipsi tribuntur.

§. X. Deniq; huc referuntur universalia, veluti Genera & Species, homo, animal & similia, quæ itidem sunt entia absolute necessaria, quamvis non simpliciter, sunt tamen immutabiliter secundum ordinarium naturæ cursum, nec fieri potest

naturaliter ut nullus homo, nullum animal existat in rerū natura, & eandem quidem in omnibus singularibus natūram & rationem obtinent, ratione cuius immutabilitatis sunt entia necessaria : Nihilominus quia Deus speciem totam destruere facile potest, auferendoscilicet omnia iādīvidua, non sunt simpliciter necessaria. Destruere enim singularib⁹ omnib⁹ & universale iāterit, quia quæ realiter idē sunt, eadem generatione generantur & corruptione corruptiūr lib. 7. Topic. c. 1. Quāvis autem destruētis universalibus omnibus maneat immutabiliter verum, quod homo sit animal & rationalis, tam et talis immutabilitas non nisi in propositionibus spectatur, quibus complexa necessitas competit. Quare dicendum Deum solum purum actum esse & verē simplicem, in ceteris vero omnibus quæcunq; sub Deo sunt, tanquam dependentibus seu esse ab alio participatum & receptum habentibus. compositionem quandam dari & reperi, si non ex materia & forma, certè tamen ex actu & potentia, ut esse accipere & roris amittere possint, id quod arguit imperfectionem, quam quæ in se continent entia non sunt simpliciter necessaria.

§. XI. Ceterum peculiariter spectatur necessitas in corrūptilibus etiam, ut docet Arist. lib. 1. de part. animal. c. 1. cum necessitatem non ex quo rebus omnibus inesse dicit, sed rebus aeternis simplici absolute ratione, caducis autem gigne- dis omnibus ξ ὑποθέσει, sicut in artificialibus apparet : materiam enim talem adesse necesse est, si domus aut quivis aliud finis futurus sit, atque etiam fieri moveriq; illam primum oportet, deinde hoc atq; sic deinceps hunc in modum itur ad finem, unde & est & erit & fuit in Physis attenditur, ob mutationem & motum, quod non zq; sit in alijs scientijs, idem docet Philosophus lib. 2. Iby. c. 9. quod scilicet in naturalibus necessitas ex suppositione locum habeat. Est enim Necessitas suppositionis, ut supra notatum, Necessitas finis quandoquidem ex suppositione finis multa sunt necessaria, quæ absoluē necess-

necessaria non sunt, ut si domus esse debeat, oportet, ligna, larcetes & lapides, & alia multa media adesse, si ferrum quid esse debeat, oportet id esse ferrum; talis vero suppositio tantum in causa finali spectatur: nam in ceteris causis datur Necesitas absoluta: Quod enim per materiam competit, ut animal ob materiam est corruptibile; vel ob formam ut hominem esse rationalem; vel ob efficientem, ut diem & noctem esse ob motum solis, absolute necessarium est; Ratio est, quia iste causa omnes in re sunt priores, atq; sic in re quod prius est infert ex necessitate posterius. Finis autem est tantum in intentione prior, in re autem quid posterius; unde quia finis in re non est quid prius possum, illum supponi oportet, vt ita ex suppositione ejus cetera necessaria dicatur v. g. qui vult exstruere domum, necessaria judica ligna & lapides, sed quia domus nondum in re aliquid est, sed tantum in conceptu, ea absoluta necessitate non infert ligna & lapides & cetera requisita, sed tantum ex suppositione, posito quod esse debeat, pariter se res habet in physicis, ubi in primis materia & finis attenduntur, quia eiusmodi causæ maximè spectantur in motu, quia enim finem hunc vel initum intendit natura, materiam talem requirit, & consequenter movens tale, adeoq; materia & efficiens est propriæ finem, non finis propriæ materiam; & sic in naturalibus datur necessitas finis; adeoq; demonstraciones naturales non sunt simpliciter necessariæ, sed ut in pluribus: non enim vir semper barbam emittit, neq; sub cane semper fuitatus, sed ut in pluribus, vel ex suppositione.

§. XII. Ulterius secundum Necesitatem hypotheticam dicitur lib. de Interpret: c. 10. Omne quod est ex ipso quo est necessarium est qua ratione res maximè contingentes, fortuitæ etiæ & casuales dicuntur esse necessariæ positione enim quod sint non possunt non esse seu habent esse immutabile, non quidem absolute, sed ex suppositione, quia ponuntur esse: quod vere aliquis dixit futurum, id non potest non fieri, alias is verum

non dixisset, sed hæc necessitas contingentiam non tollit; sed optimè cum ipsa stare posset Quod enim rebus necessitate afferre debet esse. id prius si oportet, sicut ignis cū admoveatur ligno, efficit iſi necessitatē corruptionis; cū autē posterius quid est in re, ut finis, tamē in mente necessitas illationis est, ut iter quis facit necessariō, ut accipiat pecuniam: accēptio pecuniaꝝ in re posterior est itinere. & sic contingentiam itineris tollere non potest, in animo tamen cum prius apprehenditur & ponitur necessariō inferit. Eodem modo quia Deus omnia præscit contingentia vi præscientiæ infallibilis quicquid sit necessariō sit, sed necessitas illa contingentia non tollit. quia præscientia tantum posterius quid est rebus, si non repotest saltē naturā: non enim ideo res sunt, qui præscitæ sunt sed ideo præscitæ sunt, quia futuræ erant. Ad hanc rē melius explicandā distinxerunt Scholastici inter necessitatem consequentiaz & consequētis. Illa spectatur in quovis syllogismo, qui ex potis præmissi inferri cōclusionē, quæ inde necessaria est, quā visalias in se considerata sit merē contingens, in dō planē impossibilis, ut si v. g. ponātur hæ Præmissæ; nullus homo est animal omnis leo est homo: necessario tandem colligitur, Ergo nullus Leo est animal; Verum cum præmissæ sint impossibiles impossibilia importantes, conclusio inde orta non potest esse necessaria & possibilis nisi ex necessitate consequentiaz ob portas præmissas: Eadem ratione ponitur interdum esse rē, ponitur finis ut & necessitate inferatur ipsū esse rē, inferatur media quæ alias planē sunt contingentia ut v. g. quicquid est non potest non esse, Socrates est: Ergo non potest non esse, vera est conclusio, sed ex suppositione; alias est falsa, homo enim singularis contingenter est. Cum igitur hoc ita in syllogismis spectetur, ut consequentia sit necessaria rē ipsa contingenter existente, ideo terminos transtulerunt ad res ipsas, ut id omne, quod ex suppositione fit, ex necessitate consequentiaz fieri dicatur: Sic DEVS præscivit lapsum Adæ inde is de-

B  
;

cessariò peccavit, attamen libere & contingenter quia est tantum illationis & consequentia necessitas.

§. XIII. Necessitas verò consequentia dicitur veluti conclusio in se Spectata cura respectum ad præmissas, & constitutæ dependencia effeçtus à causa efficiente, formalí & materiali, cum eisim ob harum causatum aliquam prædicatum inest subjeçto, conclusio dicitur necessaria cura soppositione præmissarum; Hæ enim causæ omnes priores sunt in re ipsa effectu, & si res una ac altera propter necessitate quâdam reali inferatur sic lignum comburitur necessariò ab igne, hemisphærium nostrum cum dies est necessariò illuminatur à sole necessitate efficientis. Lupa patitur Eclipsin ob interpositionem terram, lapis in aerem projectus tendit sursum, aqua mediante siphone in alium profunditur necessitate efficientis; homo est corruptibilis, corpus omne est passibile & mobile, gladius est durus, cù gravis necessitate materiæ; quia hæc omnia materiam sequuntur, & per illam in repositam ut prius quid, tales propriares rem consequuntur. Deniq; homo est docilis, potest numerare, videre, loqui, iognis tendit sursum, terra deorsum necessitate format; Quia enim talis vel talis forma recte comprehendit, consequentia talia absolute necessitate inferuntur, tanquam per aliquid prius in repositum.

§. XIV. Jam quod de Necessariò diximus idem de Contingente proptermodum judicandum, quia opposita sunt, oppositorum verò est eadem ratio nec alia de causa Philosophus contingens in tractatu περὶ τύποσαχῆς omisit quam quia ex descriptione necessarij paretur, Itaq; contingens sumitur duplicitate modo (1) generatim prout includit necessarium & opponitur impossibili; nullò habito respectu ad rem in se consideratam, an necessaria vel contingens sit, sic contingit hominē ridere, ignem urere, de hac significatione agit Philosophus lib. 1: prior. c. 3. (2) Speciatim et propriè præceo, quod aliter sc. habere potest lib. 7. Met. c. 15. lib. de Interpet. c. 10. lib. 1 prior. c. 3.

750.

item quod cum non sit necessarium si tamen ponatur esse nullum inferat incommodum lib: i prior: c. 12. atque hanc significatione contradicitur necessario.

§. XV. Contingentia hæc propriè dicta dividitur in interior secam & extrinsecam, vel ut alij volunt in aequalem & inaequalem, illa consistit in libertate et libro arbitrio quod non contingit ad unum certum effectum, sed modo hunc, modum dissimilem & omnino contrarium priori producente potest, sicque ex qualiter ad opposita se habet, & hæc contingentia non tantum datur in hominibus, verum etiam in Angelis & ipso Deo seu potius operationibus Dei, quippe qui omnia ex libertate creavit, & adhuc omnia liberrime agit, conservat & ab interitu tuerit; sic etiam quælibet res, quæ ab extrinseco mutabilis est, contingens dicitur. Contingentia extrinseca & in aequalis dependet ab extrinseco quodam, quod obstat agenti, quod minus rem uti intendit, producere queat, ut ita ex qualiter res sese habeat ad effectum, & hæc contingentia spectatur in rebus ut ab extrinseco sint mutabiles. Hanc contingens aliud est frequens vel contingens ut plurimum, aliud rarum vel fortuitum ut docet Arist: lib: 3 post c. 12. contingens ut plurimum est, ut hominem canescere, augeri, tabescere, habere quinq; digitos in manu, Contingens rarum & fortuitum est id, quod incertum & indefinitum est quod ita & secuse evenire potest, ut animans incedere aut dum incedit terram concut, hominem nasci cum sex digitis in manu, huic etiam pertinent fortuna, quæ datur in agentibus ex electione & casus qui in agentibus naturalibus locum habet.

§. XVI. Deinde distingvitur contingentia in illam quæ est rei presentis & quæ est rei absentis, contingentia rei presentis est, quâ aliquid in actu jam existens denominatur contingens, non quidem quatenus ut possum in natura rerum consideratur: Sic enim accessariò est, ut supra dictum; Sed prout in se simpliciter spectatur: sic enim potuit fieri vel produci, ut homo jam ambulat, hæc ambulatio ut sit, immutabili-

ter quidem se habet, verum respectu originis est merè contingens quia liberè facta est, & potest non esse. 2. Contingentia rei absentiæ est, quô aliquid à sensibus remotum in praeterito vel in futuro contingens dicimus; in praeterito quidem, quod tametsi propter aliquam hypothesin, in quantum ut factum infectum reddi nequit, necessitatem sibi vendicat, in se tamen posuit aliter factum esse vel alter se habuisse, ut Iohannem Baptistam esse decollatum. In futuro absq[ue] illa restrictione est contingens ut in iustitio prælio potenterem partem victoriam reportaturam esse.

S. XVII. Ultimo distinguitur Contingentia in complexā & incomplexam; hæc est in re simpliciter termino notata. Illa est in propositione, quando duo contingentia conjunguntur vel quando duo sunt, quorum unum de altero contingenter dicitur, ut: dives est iniquus aut iniqui hæres: hic ð iniquū esse dicitur dedivite non necessariò, sed contingentia: contingit enim quandoq[ue] divitē opes sibi colligere injure cum incommodo alterius. Et hæc contingentia propositionum ut & necessitas est vel formalis, quando necesse & contingēs ponuntur in Propositione tanquam voces modificantes propositionem, ut denominetur necessaria vel contingens, licet respectu materiæ sit falsa, sicut in his propositionibus: necesse est hominem esse album; contingit hominem constare ex materia & forma; vel materialis, quando propositione est necessaria vel contingens ratione materiæ & formæ simul, ut necesse est hominem ratiōnari; contingit hominem ambulare,

Tantum hac vice,